

*Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*

✠ Lécctio sancti Evangélii  
secúndum Matthæum

11, 2-11

In illo témpore:

- <sup>2</sup> Ioáannes, cum audísset in vínculis ópera Christi,  
mittens per discípulos suos
- <sup>3</sup> ait illi:  
«Tu es qui ventúrus es,  
an álium exspectámus?».
- <sup>4</sup> Et respóndens Iesus ait illis:  
«Eúntes renuntiáte Ioánni, quæ audítis et vidétis:
- <sup>5</sup> cæci vident et claudi ámbulant,  
leprósi mundántur et surdi áudiunt,  
et mórtui resúrgunt et páuperes evangelizántur;
- <sup>6</sup> et beátus est,  
qui non fúerit scandalizátus in me».
- <sup>7</sup> Illis autem abeúntibus,  
cœpit Iesus dícere ad turbas de Ioáanne:  
«Quid exístis in desértum vidére?  
Arúndinem vento agitátam?
- <sup>8</sup> Sed quid exístis vidére?  
Hóminem móllibus vestítum?  
Ecce, qui móllibus vestiúntur,  
in dómibus regum sunt.
- <sup>9</sup> Sed quid exístis vidére?  
Prophétam?  
Etiam, dico vobis,  
et plus quam prophétam.
- <sup>10</sup> Hic est, de quo scriptum est:  
“Ecce ego mitto ángelum meum ante fáciem tuam,  
qui præparábit viam tuam ante te”.

<sup>11</sup> Amen dico vobis:  
Non surrexit inter natos mulierum  
maior Ioáinne Baptísta;  
qui autem minor est in regno cælórum,  
maior est illo.

Verbum Dómini.